



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1143. Usque Ad Annum 1176

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1762

VD18 90118014

§. 18. Querelæ Pontificis contra Regem Angliæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66377)

§. XVIII.

Sæcul. XII.

A. C. 1165.

*Querelæ Pontificis contra Regem
Angliæ.*

Alexander Papa per nuncios celeriter i. ep. 37.
 edoctus, quid Herbipoli actum esset,
 datis illico literis ad Gilbertum Episco-
 pum Londinensem, cujus apud Regem
 Angliæ maxima erat auctoritas, conque-
 stus est, quod hic Princeps Ecclesiam
 deseruisset, communicans cum Schisma-
 tificis, hominibusque nominatim excom-
 municatis. Quod etiam Ecclesiam Ma-
 trem suam in Persona Archiepiscopi Cau-
 tuariensis persequeretur. Hinc Papa
 Gilberto præcipit, ut cum Roberto Epi-
 scopo Herfordiensi operam jungat, & am-
 bo Regem ad officium suum erga Roma-
 nam Ecclesiam omnibus viribus reduce-
 re conentur. Ne videlicet Romam iter
 facientes aut ad Sacram Sedem appellan-
 tes impediatur, Archiepiscopum vero Se-
 di suæ restituat, & Ecclesiam, quam in
 provinciis sibi subjectis opprimere dice-
 retur, suo præsidio custodiat. Tandem
 Papa Episcopo curam committit, colli-
 gendi Denarium S. Petri per universam
 Angliam pro anno illo currente, quam
 pecuniam ea qua posset celeritate trans-
 mitteret. *Interim autem, inquit, donec
 eam acceperis, partem vel ex tuo, vel ex*

Ll 2

alieno

Sæcul. XII.
A. C. 1165.

alieno ære, si mutuum invenire possis, nobis præbebis, & quantum suggesseris, tantum in debitam restitutionem de ipsa summa detrahes. Tam gratum nobis facies, ac si dono dares. Videlicet Papa ad iter in Italiam suscipiendum pecunia indigebat. Hæc Epistola Claromontii in Avernina decima Julii anno millesimo centesimo sexagesimo quinto data est.

Act. ap.
Baron.

Tunc enim Papa in itinere constitutus erat, Romam rediturus, ubi, ex quo Octavianus Antipapa fatis functus erat, avide expectabatur. Post Festum Paschæ, quod illo anno millesimo centesimo sexagesimo quinto in diem quartam Aprilis incidebat, relictis Senonibus Lutetiam venit & inde Biturigas, ubi S. Thomas Cantuariensis, Papam huc usque comitatus, ei vale ultimum dixit. Biturigis Papa Claromontium comieavit.

§. XIX.

Rex Anglice defenditur.

r. ep. 38. **E**piscopus Londinensis Summo Pontifici respondit in hunc modum: *Acceptis mandatis tuis, Carissime Pater, ac qua par est reverentia, omni mora obiecta, ego & Episcopus Herfordiensis Regem adivimus, etsi jam exercitum suum duxisset in Walliam. Correptionem tuam suscepit gratias agens, & filiali modestia respondit. Primo dicit, quod nunquam cessavit.*